

nitatis redundant, commoda. Exilia tamen viliaq; illa qvoq; censeri non debent; qvæ subinde per collationem Statu humanitatis & animalitatis obtinentur.

## TH. XVI.

III. Exempla ex pri-  
mo gene-  
re. Hærebimus jam in limine tantum Ethicæ Aristotelicæ, in quo  
cespitabis, aut præceps rues, nisi hos duos Status adcuratè noveris  
distingvere. Quid enim prius, quid potius est addiscendum in illa  
disciplina morali, qvam vera propriaq; natura Spontanei? qvippe  
quod Virtus moralis, in cuius exercitio consistit summum Bonum  
Practicum, sit habitus Proæreticus aut electivus, & consequenter  
spontaneus. Sed nihil in hâc doctrinâ proficies, nisi duos hos Sta-  
tus, animalitatis alterum, alterum humanitatis, rectè perdidiceris.  
In utroq; nimirum invenitur quoddam spontaneum, sed diversissimæ  
naturæ, eoq; adcuratiùs distinguendum, quò facilior est lapsus  
in pericolosam confusionem. Spontaneum nimirum in Statu ani-  
malitatis reqvirit tantum exemptionem à coactione, nt' appetitus  
meus (ab intrâ,) non vis alterius (ab extrâ) sit principium meæ  
actionis: Quem in modum bruta operari, à cane carnem, ab eqvo  
avenam aut fœnum, &c. quotidiè appeti videmus; tantum abest, ut  
in hoc genere spontanei nos deficiamus. Unde & hoc non minùs  
ac Status animalitatis ipse, nobis cum brutis commune esse dicitur.  
Longè verò liberius ac præcellentius est spontaneum, quod Statu  
humanitatis adeoq; nobis hominibus proprium est, consistens non  
tantum in exemptione à coactione sed & à necessitate, ut positis  
omnibus ad agendum requisitis omnibusq; obstaculis remotis, pos-  
sim perinde agere & non agere, agere sic aliterq;; quem in modum  
Stoici voluntariâ inediâ, positis omnibus ad edendum bibendumq;  
requisitis, oneratâ cibo potuq; mensâ, & remotis omnibus impedimentis,  
imò adhibitis Amicorum adhortationibus, mortem sibi ac-  
celerabant; e. c. Pomp. Atticus, qui cum Agrippa cum flens atq;  
osculans oraret atq; obsecraret, ne id, ad quod natum cogeret, ipse  
qvoy; sibi acceleraret, & qvoniam tum qvog; posset temporibus super-  
esse, se sibi suisq; reservaret, preces ejus taciturnâ suâ obstinatione de-  
pressit; apud Nepotem in ejus vitâ. Ita verò se bruta gerere non  
possunt, qvæ si fame vexentur aut siti, cibusq; adsit aut potus, non  
possunt